

Alii conficiunt ex farina hordei vel tritici, vel filiginis cum aqua in massam redacta, & sale modico condita, quæ exiccantur, & vltus tempore oleo inunguntur. Aliqui radices prædictas vel caulibus oleo inunctas sale modico asperso induunt.

Nonnulli loco glandium nodulis vtuntur; fumentes vitellum oui, salis communis ℥.j. miscentes, quæ linteo raro excipiunt, filum appendunt, quo retrahere possint, oleo inungunt, & in anum intrudunt.

Mediocres sunt, quæ parantur quidem ex melle, tanquam materia communi, sed adduntur etiam medicamenta, vt sunt species hieræ Galeni, agaricus, senna, nitrum, in quibus est dosis mellis ab ℥.j. ad ℥.ij. Specierum vero, quæ admiscentur, octaua vel decima pars, vt,

℞. Mellis comm. ℥.j.

specier. hieræ ℥.j.

vel agarici ℥.ij.

salis comm. & nitri, an. ℥.ss. misce.

Sunt, qui sterco muris antiquum addunt ad ℥.ss. edocti à Dioscoride *m*, qui muscerdas subditas infantibus, alui deiectionem promouere scribit. Verum Galenus *n* irridet, & reuera pudendum esse inquit, alia experiri velle, cum tot sint, quæ apposita sedi excretionem excitent. Sic ad necandos Aecarides fiunt ex pulueribus amaris, vt ex aloë & melle, ex agarico, puluere hieræ simpl. Galeni, puluere absynthii, centaurii, addita farina lupini. Exemplum:

℞. Absynthii, centaurii, vel abrotani, vel aloës trite ℥.j.

mellis

*m lib. 2. c. 98.*

*n 10. simpl. circa finem.*